ASTRAEA REGNANS
SVB AVSPICIIS
SANCTISSIMI D. N.
ALEXANDRI VII.
PONT. OPT. MAX.

AVGVRE

IACOBO ALBANO GIBBESIO M. D.



ROMAE,

Typis FRANCISCI MONETÆ. MDCLV. *Super. permissu.*





ILLVSTRISSIMO, ATQ. EXCELLENTISSIMO

DOMINO,

NICOLAO SAGREDO,

VENETIARVM SOPHO,

eiuſdemq. Sereniſsimæ Reipublicæ ad Pontificem Maximum

ORATORI.



IACOBVS ALBANVS GIBBESIVS, MED. D. Britannus, S. P. D.



APAM habemus Eminentiſſimum, & Reuerendiſſimum Dominum FABIVM S.R.E. Cardinalem CHISIVM,(liceat in re ſacra mihi vti formula ritualium librorum diuulgandi Romani Pontificis primùm creati) *qui elegit ſibi nomen ALEXANDRVM SEPTIMVM*, Excellentiſſime Legate SAGREDE: addo nunc ego, ſeù potiùs vniuerſus orbis mecum, Pontificem quidem, non modò Maximum, quod cuilibet ad id faſtigij euecto ex vetere conſuetudine tribui ſolet tanquam nota propria dignitatis, ſed prætereà etiam Optimum, titulum ipſius vnius planè virtutis, ac doctrinæ meritis præcipuo quodam iure acquiſitum. Non expectas, opinor, illa prima; *Annuntio vo-*

bis gaudium magnum, vt absoluam totum præconium: ecquis enim audito ALEXANDRI nomine lætitiam iam summam, spemque intimam futuri boni cunctis penitùs sensibus non præcepit? Causis supersedeo tantæ voluptatis, actum nè agam, vt plurimis, ità notissimis; quippè quæ omnium & literis & sermone gentium celebrentur: hoc solùm dicam, cùm huiusmodi delectatio latè pateat, ad remque pertineat quaquaversùs Christianam, tum vos ea vel maximè, *ò Veneti*, comprehendi, teque adeò, *Vir sapientissime*, in primis attingi debere, cuius administratione actuosa factum est, vt qui Cardinalis efficacibus tuis consilijs commotus & præparatus fuerat ad Venetæ misericordiam Reip. cum Imperio Turcarum, nec æquo, & immani hoste, decertantis, is factus Summus Pontifex illicò tibi eo ipso Creationis suæ die copias instructissimas terra mariq. promiserit suis sumptibus sustinendas. Vidit pollicitationis fructum lux secuta, missis Ferrariam ad duces exercitus, Centumcellas ad præfectos triremium pergrauibus pro expeditione mandatis. Quòd si per pompam & triumphum, atque omnia alia citiùs cogitanti similis, communis Parentis curam non deponat, quandò ex re, & ex tempore consilium capiet in Senatu Patrum conscriptorum, quid existimabimus esse facturum? Sed alium locum habent ista: non illum hic, sed te laudandi animus est: tametsi fieri commodè nè id quidem tam contractis epistolæ finibus potest. Panegyricus mehercules dictorum factorumq. tuorum (quem equidem viuo in spe aliquando cōdendi, propèque autumo abesse tempus) tot rebus excellenter gestis in luce Europæ, in oculis Principum, atque in auribus nationum omnium, longissimus foret pertexendus.

Age verò, quod tua, quod Reipubl. interest tuæ,
nunc

nunc præmittam huic libello Carminum; quæ abs me fuſa alia alio tempore, & cantata in CHISII laudes ex Germania reducis, cum *Ode recenti* in Pontificatum eiuſdem, patrociniumque Venetorum, coniuncta tibi dico vniuerſa. Non deerunt, ſat ſcio, qui mirentur hoc me opus EXCELLENTIAE conſecrare TVAE, cuius videor nullam attingere prorsùs partem; cùm oportuit ipſiuſmet rectiùs Sanctitati Pontificis, vt proprium, de quo vnicè totum conflatur. Fatebor ingenuè, quod res eſt: ſic feciſſem, niſi quòd verſus ei ſingulos antè tradideram è loco & tempore vnicuique ſubſcripto, præter extremam Gratulationem, quam manu qualicumque noſtra pictam & exaratam nudiustertiùs obtuli, deductus in penetralia Vaticani ab Eminentiſſimo Principe, ac Domino meo, *Cardinale Spada*; audientiam conciliante. Nolui ſcilicèt recoctam cramben; nè μυσοπάταις ad rauim cenſerer importunus. Nunc autem cùm in iuſtum concinnata volumen omnia emittere pro nouis cogito, non alia ſub luce in publicum libro meo prodeundum putaui, niſi quam patronus aliquis & genere, & virtute, & doctrina clariſsimus preſtaturus eſſet.

Tu is es, optime SAGREDE, in quo tanquam in centro iſtiuſmodi glorioſa, tot veluti radij, concurrunt ornamenta. Et primùm, quod attinet ad ſplendorem vetuſtatemq. Familiæ; quemadmodùm Aborigenes Italia, Mutios Roma, Catones, Regulos, Scipiones, Metellos Aemylios, Cæſares aſpicit & colit: ſic perantiquam Stirpem tuam Res veſtra publica naſcens adultam vidit, *Sagredorum* ſurculos atque traduces Vrbs ipſa Venetiarum pulcherrima atque potentiſſima vel pietate, vel conſilio, vel in patriam fide, vel literis, vel opibus, vel victorijs & triumphis florentes & venerata ſemper eſt, hodieque veneratur.

De virtute, nihil extra familiam habeo proferre, vtpotè indiuidua comite: nisi fortè ad aliam speciem laudis atque perfectionis Fratrum tuorum spectabilem in morte nuper obeunda placet fortitudinem traducere. Esto, ceciderit vterque vno & eodem die, alter mari, alter in terra, per expugnationem Cydonis paulò antè captæ, percussus à defensoribus Turcis; nonnè rectè hæc deuotio capitis pro patria, ad eam, quam suprà dixi vigere apud vos, reuocabitur Fidem? Venio ad doctrinam, conditionem tertiam: & quidem doctrinam cùm dico, non vim illam dico, artificiumque Rhetorum aut Poëtarum in verbis positum; quanquàm hac tu quoque in parte mirificè excellis; sed eruditionem quandam historicam, quæ in temporum, locorum, rerum gestarum memoria atque tractatione cernitur, absoluitque prudentiam: quo in genere parem fortasse reperies aliquem, superiorem certè neminem. Id cùm ego ad te missus aliàs à meo Cardinale negotiorum causa facilè perspexeram, tum verò eum ipsum audiens hic Romæ, deinde Aloysium etiam Molinum Mutinæ, præstantissimum Senatorem, collegam tuum, (quales viros!) tuarum laudum buccinatores, multò magis confirmatus iudicium stabiliui susceptum priùs, meque in eo amaui valdè. Habes vtiquè trium amplissimarum Legationum fructum, Catholicæ, Cæsareæ, Romanæ, amorem, atque admirationem gentium: laborum tibi tribuet Resp. suo tempore cumulatissimum. Nunc *ASTRAEAM* respice, quam semper protexisti, & Vale.

Romæ, ex ædibus Emin. Princ. Bernardini Cardinalis *Spade*. 12. Cal. Maias. M. DC. LV.

AD

AD SANCTISSIMVM D. N. ALEXANDRVM VII. PONT. OPT. MAX.

O D E I.

Optatiſsimam toti orbi Perſonæ *Illius* creationem decantat.

T I A R A.



VNC eſt canendum, nunc lyra Tejo
Tangenda plectro: nunc genialibus
Mulcere tranſactos labores
Hora tulit vicibus, Camœna.
Diù negatum, carpere lauream
Hortis amœnis; dùm violentior
Afflabat Aſcræi vireta
Aura iugi, comiteſque fructus.
At non maligno Theſpia lumine
Dumeta ſemper Caſtalius Deus
Aſpexit: optato*què tandèm*
Damna potens hilarauit Aſtro.
Regis futuri *ſcilicèt hoc erat*
Fatale ſidus, Maxime Principum:
Hoc Montium Cuſtodem *auita*
Cernimus emicuiſſe parma.
O prima mundi ſecula, ſecula
Cognata cælo! Iàm videor boni
Calcare Saturni beatas
Corde hominem ſuperante terras.
Aſtræa rursùs læta perambulat
Telluris orbem; nuda Fides trahit
Secum choreas Gratiarum, &
Implicitas ſine nube Muſas.

Quid mirum, vbi altis ominibus cita
Praecessit agmen, culmine Olympico
Delapsa Virtus, vt videret
Aetherei noua monstra regni?
Tu mella duris roscida Quercubus
Manare, Colles tu facis arbiter
Romaeque, Parnassique fratres,
Moribus, ingenijsque iustus.
Per te reuisit prodiga Faustitas
Pagos, & vrbes: explicat horreis
Frumenta stipatis in vsum
Alma Ceres, pater & vetusti
Cados Falerni, munera pauperum
Festiua, Liber. Te duce, *candidas*
Induta vestes purpuratae
Relligio Crucis arma tollit:
Quam ponè flexo lumina poplite
Mundi sequuntur, Caesar, & ardui
Cum plebe Reges, ad ruborem
Threjciae opprobriumque Lunae.
Quanquàm feroces te quoquè Sarmatas
Spes aggregandi pascit, & vltimos
(Vtcunquè firmàris sequester
Pace Duos placida) Britannos.
Iam nunc mearum stat Venetus Leo
Sententiarum testis, in asperum
Duratus hostem per catervas
Sanctè *tuas, pelagique vires.*
Testis, rapaces armiger Imperj
Expertus vngues vndiquè vulturum
Ales biformis, cui serenum
Primus eras aperire caelum.
His dedicati pectoris artibus
Lucratus orbes, & Capitolia,
Ingens ALEXANDER, *triumphas,*
Tergemina redimitus vmbra.
Nos manè Diuos, nos prece vespere
Longum *rogamus solliciti* Patrem:
Interque dilectum supremus
Ipse *gregem numerere* Pastor.

Romae 3. Id. April. 1655.

ODE

ODE II.

PVRPVRA.

CHISI, *Latinis addite Patribus,*
Atque eminentis lux noua curiæ,
Vrbi probatum quem Quirini
Virgineæ peperere Senæ:
Candore ab illo prouehis indolem,
Moresque firmas integer æmulos,
Miscere sanctæ donèc Afrum
Iustitiæ placuit colorem.
Sic alma plenam nobilitat Ceres
Plerumque messem, sic violæ rubent,
Sic gestit autumnus racemos
Pingere, Crustumiosque fructus.
Abdi parumpèr, non poterit diù
Latere virtus. Emicat igneus
Fulgor per vmbram, ceù corusco
Sol piceas fugat ore nubes.
Pacis sequestrum miserat Vbios
Vrbanus: *alti semina pectoris*
Exerta per campos patentes
Aethereum tetigère mundum.
Ingens canoræ buccina gloriæ
Vrbesque, terrasque, & procùl insulas
Arrexit omnes. Totus auris
Orbis erat, modò lingua totus!
Alterque tandem nomine Pontifex
Pulsus, vocato grande Palatium
Concessit in partem, ac ministri
Mòx titulo, coluitque fratris.

Romæ 7. Id. Mart. 1652.

ODE

ODE I XI.

DOCTRINA.

CVltum è Vahalis (credite) finibus
Vidi Libellum, *Tybride conscio ;*
Romamque mirantem, & Latinum
Attonita velut aure Phœbum.
Prò, quanta vena copia diuitis
Fluxit ! quis ardor Teutonicas niues
Dissoluit infractas, vt irent
Molliùs Aonidum scatebris !
Prò qua, Maronis seu crepuit tuba,
Seù res Thyestæ, seù tetigit sales,
Fallebat aut plectro laborem,
Vis erat, imperiumquè vati !
At nulla pictæ nomina legimus
Præfixa fronti. Quis negat abditum
Lucere Solem? Sat patebat
Sigalion melior loquente.
Candor sepulchri proditor est sui, &
Mirè coruscam vibrat imaginem
Oppressus: exclamamus omnes,
Ausonium pupugisse ciuem.
Interque gentis Regna tot Italæ,
Vrbesque Regni, claudere idm licet
Tellure certa; blandientes
Eloquio referente Senas.
Dicam & vetustam, si lubeat, domum,
Stirpemquè, sortemquè. Agnitus, ò Bone,
Frustrà verecundo resistis
More, superuacuoque iusti
Honore peccas. Nube modestiam
Educ opaca, nec Iuuenilibus
Plùs Virgo Musis *obserato*
Solus ama latitare Pindo.

Quor-

Quorsùm iuuentas, & decor, & placens
Guttur Camœnæ, si tamen horridis
Munitur vmbris? Diua certè
Fit mulier, volet ipsa cerni.
Idm Dædaleæ nil opis indiga,
Turresquè, murosquè, & populos super
Rumoris euasit curuli
Nomen agens, meritasquè laudes.

Romæ 5. Cal. Sextil. 1652.

CARMEN IV.

De custodia Bibliothecæ Vaticanæ negata.

CLEMENTIA.

QVid captet, fugiatuè quisque, fari
Concessum est hominum sub astra nulli.
Nos casus sciolos facit peractus;
Ad res præteritas sumus Sibyllæ.
Albanus *moritur: prehenso curam*
Summa nobilis arce Vaticani,
Curam Pontificalis Hermathenæ,
Quam regno Philadelphus optet emptam.
Decessit Peregrinus *: instorursùm;*
Rursùm purpurei pari Senatus
Nauanti mihi, CHISIO atque Spadæ,
(Proh Dij, qualibus artium patronis!
Quantis, Iuppiter, artium magistris!)
Affigi nimiam crepando gazam
Externo, renuit Pater Supremus.
Ergò Tuscus habet Richardus. *O quàm*
Mallet nunc iterùm præesse pastor
Martis planicie, breui peremptus!
Nunquàm Ianiculi iugum fidele
Porsennæ soboli. Vigente Tusco,

Quid

QuidRomæ facerem, tot albus annis
Fortunæ scopus, & petitor atræ?
Iàm non blanditias, precesuè mitto;
Turget felle iecur; stat vlceroso
Sic pulmone frui malos in hostes.
Hùc, hùc Hendecasyllabi dicaces,
Pungamus tenui stylo trecentos,
Non mites, nisi CHISIO *atque* Spadæ.
An, si me fatui parùm Quirites
Gustarint, piper, aut negabo acetum?
Hæc inter Mutinensis *eccè* Ductor
Pactis Attalicis trahit repulsum,
Vt Cyro *Xenophonta det tenello,*
Dilecto genitor suo Almerico:
Te scribente tui diserta regis
Mandata, ad dominum ferenda Spadam,
Sancti pars bona, Gratiane, *cœtus,*
Atque idem Italicæ decus Thaliæ.
Firmato malè adhùc Atestis *aula,*
(Aularum Aemylij parente tractus)
Concurrère viri, tacere demùm
Hetruscum exanimem, graues tabellis.
Hic tum quæ mihi mens benigna venit!
Quàm diuersus agor furore primo!
Quicquid constitui mali, retracto;
Quicquid perstrepui, dolens recanto:
Iusti Romulidæ; beata Roma;
Et, qui Romulidas, regitque Romam,
Felix, innocuus, vigilque custos.
Vt carpant alij, tenebo numen;
Et stringam Satyra vibrante Momos.
Fiet namquè Deus mihi ille semper,
Est qui, fac velit, impotens nocere.
Libros haud temerè negauit: isto
Nolim me pretio subire Parcam;
Hoc nolim pretio triumuir esse,
Albanus, Peregrinus, *aut* Richardus.
Vitam qui dederit libenter vnam,
Sanctum iure licet vocare Patrem;
Qui tres; dic memor, obuius vel hosti,

O salue

O salue Patriarcha Sacrosancte:
Tu gratare superstiti sodali,
Sic vincas Pyliam virens senectam;
Sublime Italicæ decus Thaliæ.

Mutinæ, prid. Non. Nou. 1653.

PROSA V.

AVGVRIVM.

IAnum Nicium Erythræum, acerrimi virum iudicij, atque omni liberali doctrina politissimũ, multa de te, FABI CHISI, memini, dùm in viuis esset, prædicare solitum. Quæ quidem laus quo loco ponenda sit, Hector ille Næuianus luculenter docet. Quanquàm quid ego cuiusquam produco testimonium de summis virtutibus tuis, quæ per se ipsæ loquuntur clarissimè, iamque fama toto terrarum orbe peruulgatæ sunt? Quis nescit Legationi illi ad Rhenanum tractum, tibi extra ordinem à duobus Pontificibus Maximis cum plena potestate commissæ, quantum debeat Germania omnis? O indefessam solertiam! ò diuinam agendi sagacitatem! Quis has res inter grauissimas de tuo tamen perpetuo reconditiorum literarum vel studio, vel de patrocinio non fando audiuit literatorum? Hic libet mihi rursùs exclamare: O doctrinam admirabilem, ò immensum sapientiæ gurgitem, ò liberalitatem propè dicam dissolutam! Iure mehercle quæsiuit necessitudinem tuam, quæsitamque fouit Nicius noster, atque excoluit porrò diligenter, cùm ob naturæ, qua præditus es, singularem præstantiam, totque dotem ornamentorum, tùm eo præcipuè nomine, quòd quos Romæ identidèm concipiebat ingenii fœtus, illùc ad te, vbi eras, Coloniam longissimè transmissos, tu propria impensa non modò perelegantibus excusos characterum typis, verùm etiam purissimo macrocollo impressos, et, quod caput est, ab omni operarum errore perquàm emendatos ad authorem primo quoque tẽpore remitteres. Illud desino mirari iam, quo modo *Aureus tuus Lyricorum Liber*, qui currit hic per omnium manus, prodierit

dierit

dierit tam venustè, cùm tantum elabores in alienis. Traxisti merito profectò tuo egregium ab effectu cognomen φιλομύσυ (sic enim vulgò audis, hocque solo nomine ex libri, quem modò laudaui, fronte designaris) seù quia mansuetioribus ipse Musis, id est, scientijs ac doctrinis, nauas operam, siuè quia ijsdem in alijs fauere soles. Non igitur temerè erat, quòd *Innocentius X.* hominum sermonis celebritate tanta excitatus de actuosa virtute tua, integritate, facultate, mortuo Pancirolo Cardinale, secretioris scrinij Magistro, illius iàm tùm tibi absenti locum summo planè iudicio destinauit, plaudentibus vniuersis. Neque verò, si gloria est illustris & peruagata multorum & magnorum vel in suos ciues, vel in patriam, vel in omne genus hominum, fama meritorum, erit hic finis & terminus honoris tui: sed quantò illa maiora atque illustriora fuere, tantò clarior debita ijs merces ac præmium respondeat proportione necesse est. Sic ferè mundum regit Deus; de eius Vicario, optimo Pontifice, dubitabimus? Cernimus iam animo, & breui quidem, vti se principia dant, futurû esse. vt *Purpuratorum Senatui tu ---*. Sed manum de tabula: ὑπὲρ ἡμᾶς, οἱ καθ' ἡμᾶς τάδε.

Itaque de me priuatim, *Amplissime Antistes*, bona tua venia pauca dicam. Romæ de optatissima tua præsentia, tibi de reditu ad gratam Vrbem longo interuallo gratulor; mihi verò ipsi cum omnibus doctis (in quorum numero haud equidem video cur me hac occasione duntaxat communis lætitiæ non optimè possim inserere) de tanto præsidio bonarum artium non gratulor solùm, sed etiam intimis sensibus vehementer gaudeo. Apagete nunc Momi, quotquot estis, mimique studiorum: neque aures cuiusquam scientis hominis illis vocibus argutulis, vt putatis, posthàc obtundite;

Quis tibi Mecœnas? quis nunc erit aut Proculeius,
Aut Fabius? quis Cotta iterùm? quis Lentulus alter?

Hèm! retrò paululùm, Sanniones malè feriati, ad eum, quem torrente maledictorum obruistis, reuoluimini FABIVM. En hic ille est rediuiuus vtriusque facundiæ parens & patronus; en, sub quo (absoluamus Satyrici Sibyllinos versus)

Nunc par ingenio pretium; nunc vtile multis
Pallere, & vinum toto nescire Decembri!

Et quoniam casu in huiusce mentionem mensis, in quo sumus, incidi, peropportunè mihi facturus videor, si, qua tu oblectari potissimùm consueuisti, ea te re, Versibus inquam,


veluti

veluti Saturnalitio munere, ex instituto maiorum sanè peruetusto, donem. Fasciculum ἀνθῶν concinnaui tibi, laureolam credo in mustaceo quærens, qualemcunque fructum ingenij mei: eas tu, sicubi otium eris nactus, subcisiuis horis pro eximia tua humanitate leges, istamque nostram, quam profectò in hac Epistola vides elucere, voluntatem, animique singularem ad te non dicam ornandum (mihi enim non sumo tantum, neque arrogo) sed amandum propensionem, æqui bonique facies. Tametsi id quoque enitar suo tempore, vt, quemadmodùm permistos Diuis Herôas vides in hoc opusculo, omnes ferè familiares tuos, & ipse illis bono in lumine collocatus aliquando videaris. Accipe interim hoc, *Vir præstantissime*, quod iam potui tuo tam subito aduentu, argumentum obseruantiæ in te meæ; nec indignare tuam interminatam vno disticho quasi ἐν κύκλῳ nimis angusto comprehendi laudem, cùm maximos etiam cœli orbes in paruulam Sphæram, aut palam annuli alligatos cieri suis motibus incredibili sæpè conspicimus voluptate.

Pamphilium *fama est Artes odisse Parentem:*
Euexit CHISIVM. *Plusnè iuuaret Amor?*

Vale. *Romæ*, ex ædib. Em. Prin. Card. *Spadæ*. Idib. Dec. 1651.




BIBLIOTECA NAZ.
ROMA